



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Christianorum est omnibus debita reddere

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

prophetis de regno Christi scriptum est, carnaliter interpretantur. Veri Christiani negotia Christi eterni regis spiritualiter intelligunt. Iuxta quod regnum spirituale, terrenum & externum non damnant, cuius administratio magistratibus est commissa.

QVOD CHRISTIANORVM SIT
omnibus debita reddere.

S I M O N.

QUUR uero Paulus dicit: Nemini quidquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis? Rom. 13. II.
TRACT.

IOIADA. Huius loci (ut omnis scripturae) interpretatio ex charitate pendet, quae si proximum fraudat aut circumuenit, recte intelligis nemini debitum reddendum esse. Quod si charitas proximum nec contristat nec laedit, si non furatur, si alienam rem non concupiscit, certe omnibus dat quae debet. Quum apostoli per uarias gentes proficiscerentur, apud quas nimirum uariae leges, uarij mores & consuetudines essent, & haec omnino diuersae, non poterunt ab apostolis uniuersae nec conscribi nec omnino reijci. Breui ergo cōpendio in dilectionem omnia contrahunt, hanc quasi generalem regulam omnibus hominibus praescribentes, ut iuxta eam omnia transigerentur. Quapropter quum Paulus ad Rom. 13. multa

de magistratibus, de poenis, de assertione, de libertate
 & iure admonuisset, in fine ad charitatem cōuersus,
 omnia comprehendit. Quam qui seruat, nihil manda-
 torum transgreditur, qua qui caret nihil boni facere
 potest. Huic uni studeamus mi Simon, & concident
 nobis multæ questiones non solum friuolæ, sed & no-
 xiæ. Proinde te rogo ut tot iam scripturis edoctus &
 conuictus ueritati palmam des. Memineris iuxta ue-
 tus prouerbium, altercatione ueritatem perdi & ob-
 scurari. Memineris etiam scopum uniuersæ scripturæ
 esse fidem, charitatem, & innocentiam uitæ. Huc ma-
 gis specta quàm ad contentionem, seu ad falsam scien-
 tiæ opinionem. Consydera præterea, quod hæc da-
 mnata secta bonam partem ueterū hæresum secū con-
 trahit, nata ex ambitione, ex inuidia et odio, in hoc ut
 unicam ecclesiam Christi disseparet. Redi igitur ad
 ecclesiam Christi, redi ad unicam illam sponsam, sis
 ouis Christi, & agnosce ueri pastoris uocem. De redi-
 tibus & decimis quæ collegi subnectā. SIMON.

Quod tam acriter repugnaui, magis factum est ut
 discerem quæ ignorauī, quàm ut sic sentirem. Cete-
 rū ex his quæ hætenus inter nos sunt disputata, scias
 me multum utilitatis accepisse. Pro tua igitur diligen-
 tia, & ardenti in me studio gratias tibi ago sempi-
 ternas. Librum quem addis legam, ea mente spero, e-
 tiam eodem fructu, quibus tua uerba excepi. Tu in-
 terim

teriam uale. IOIADA. Et tu uale.

TRACTATVLVS DE
REDITIBVS CONTRA PER-
plexos & tumultuosos catabaptistas.

PRAEFATIO.



DEO periculis maximis obnoxia sunt diuitia, ut periculo non possit carere qui de his scribere instituerit. Quod ego charissimi non temere subeo, sed motus catabaptistarum falsa doctrina, qua multos uel in libertatem carnis, uel in carnificinam conscientiarum conijciunt. Obtestor autem omnes fideles per dominum Iesum Christum, ne meis scriptis aliter, quam a me sunt edita, abutantur. Nolo auarus hinc praetextum suae cupiditati, aut scenerator suae fraudi ansam arripiat. Ad coruos cum affectibus hisce. Nos in scribendo publicam pacem & concordiam spectamus, aequitatem & iustitiam promouemus. Quidquid ergo huc non spectat, quidquid contra deum uel confectum uel meditatum fuerit, a nobis tanquam falsum & indignum reijcitur. Volumus enim ut omnia ad regulam charitatis metiantur, quam Christus ponit Matth. 7. Quaecumque uultis ut uobis faciant homines, eadem facite & uos